

Visis supradictis ecclesiis Dominatio Sua illustrissima iter prosequuta est et pervenit hora 18 ad conventum reverendorum patrum Reformatorum sancti Francisci loci Marcassi ibique suam fixit residentiam. Die 7 sequenti mane illustrissimus dominus visitavit ecclesiam et conventum dictorum patrum.

[...]

Die 8 eiusdem illustrissimus ac reverendissimus dominus associatus ut alias se contulit ad visitandam ecclesiam Sanctae Luciae loci Cattarorum, ubi reverenter receptus fuit a reverendo Iulio Savelli vicario foraneo et paroco ac a populo; praemissis consuetis precibus celebravit missam, mox habuit absolutionem mortuorum, tum visitavit sanctissimum Sacramentum, quod deprehendit bene retentum eoque populum benedixit. Etiam baptisterium et sacra olea munda sunt.

Altaria sunt sex. Maius, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum; 2. a cornu evangelii, sancti Antonii Patavini; 3. sanctorum Crispini et Crispiniani, et hoc altare manutenendum est a sutoribus huius loci; 4. ab alia parte, sanctae Luciae titularis; 5. sancti Rocchi; et 6. in fundo ecclesiae a cornu evangelii, sanctissimi Rosarii. Hoc altare habet annui redditus libras 94, quas retrahit ex capitale librarum 940.

Altaria et ecclesia manutenenda sunt a populo (etc.). [93r] Nullum est onus missarum. Dicta altaria sufficienter ornata et ecclesia optime retenta; unde illustrissimus dominus laudavit pietatem populi et parochi diligentiam, ut in decretis. Dixi superius nullum esse onus missarum, sed tamen sunt tria legata pia, quae satisfiunt a paroco: unum quondam Annae Delia ab Occi, alterum quondam Ursulae dicti loci et tertium Antonii Ioannis dicti loci, et summa fructuum dictorum legatorum sunt librae 115, ratione solidorum 10 et partim 12. Annui redditus parochi librae 350 demptis expensis. Familiae 84. Sacerdotes 29. Animae 470. Altare privilegiatum altare maius.

Successive visitavit oratorium vulgo *la casazza* Sanctissimae Crucis, aggregatum Romae archiconfraternitati sancti Marcelli, quod sufficienter ornate retinetur. Tum cum iam esset meridies ad residentiam rediit.

[...]

Die 10 sequenti mane illustrissimus ac reverendissimus dominus hora 13 celebravit missam in ecclesia patrum Reformatorum et praemisso consueto sermone a reverendissimo theologo pontificaliter de more indutus sacramentum Confirmationis fuit impertitus.

Die 11 habuit visitationem conventus et personalem patrum. In loco Cattarorum supradicto iam a decem diebus ante sacras peragebat missiones admodum reverendus sacerdos Marcus de

Aloysiis et in loco Lumii ad[modum] reverendus pater Marianus a Muro ordinis Minorum Observantium, homo virtute cognitus et morum integritate et religionis observantiae amplissimus.

Die 12 dominica tertia post Pascha illustrissimus dominus celebravit missam in ecclesia dictorum patrum et praemisso a reverendissimo theologo consueto sermone illustrissimus ac reverendissimus dominus met de more communicavit, caeteris adjuvatibus sacerdotibus, et maximus fuit populorum concursus; et demum sanctissimo Sacramento populum benedixit.

[...]

**[113v]** Pro ecclesia parochiali Sanctae Luciae loci Catteri

Intra duos menses auro liniatur patena ex auricalco calicis maioris atque etiam calix ex auricalco cum pede elaborato, quo tempore elapso sint interdicta.

De caetero vero cum illustrissimus ac reverendissimus dominus ecclesiam decenter retentam invenerit, rectoris et populi pietatem laudando ad perseverandum etiam in posterum hortatus est.

[...]

Die 7 aprilis hac mane cum moraretur in conventu Sancti Spiritus loci Marcassi, hora 13 visitavit ecclesiam eiusdem ordinis Minorum Reformatorum et praemissis de more atque celebrata missa (etc.) visitavit sanctissimum Eucaristiae sacramentum, quod sufficienter munde retinetur.

Lustravit deinde altaria, quae sunt septem, omnia munda et bene detenta, quemadmodum parietes, fornix et pavimentum, et solum praecepit aptari lapidem unius sepulchri.

Sacrarium etiam et sacra suppellectilia optime se habent; unde laudanda est religiosorum attentio.

Demum ascivit omnes religiosos in cubiculum et praemissa admonitione (etc.) absolvit a censuris.

Die vero 11 mensis praedicti peregit visitationem personalem nec non **[301v]** recognovit cellas, officinas et clausuram, quam deprehendit uno loco fracta, quam statim claudi iussit (etc.).

[...]

Cum illustrissimus ac reverendissimus dominus deprehenderit ecclesiam et sacra suppellectilia bene detenta, clausuram bene custoditam nec mulieres in eam ingredi et caetera omnia ad formam regulae ordinis peragere, laudando regularem observantiam dicti conventus religiosos omnes ad magis in dies perficiendum in via Domini enixe hortatus est. Monuit tamen superio**[316r]**rem localem ne tot vites retineret in horto, quae quidem plures sunt quam permittit regula Minorum Reformatorum.

